



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

lxvii [i.e. xi]. Imò idem actus esse potest scientiæ, opinionis, fidei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



alio genere luminis ) ergo est superflua ; visio enim non beatifica non potest intellectum Beatorū magis illustrare de objectis cognitis per visionem beatificam, & tamen non est superflua, sed eā utuntur Beati pro libitu. Neq; sequitur ex dictis fidē posse naturaliter stare cum visione beatifica, quia totum motivum fidei, quod est auctoritas Dei & revelatio, clarē & evidenter repræsentatur, & hinc non manet obscuritas ex parte objecti motivi essentialiter ad fidem requisita.

XI. Potest etiam unus idemq; actus esse opinionis, fidei, scientiæ, dum nimirum intellectus uno indivisibili actu assentitur objecto propter plura motiva, quorum unum est probabile, alterum certum & evidens, tertium auctoritas dicentis, uti & tales actus mixti dantur in voluntate elicitæ ex diversis motivis, v. g. Obedientiæ, Temperatiæ, Charitatis. Observandum tamen est, talem actum non conflari ex diversis speciebus sibi oppositis, cum sit specie distinctus à scientia purè tali, item à fide purè tali, habeatq; propriam suā differentiam, per quā constituitur in specie actuum mixtorum, sed æquivalenter esse fidē, scientiam, opinionem,

&amp;



& in quantum transcendentaliter respicit moti-  
vum scientificum, dici scientiam, in quantum  
respicit motivum probabile, dici opinionem,  
in quantum respicit simul motivum scientificum  
& probabile, differre à scientia opinione &c.  
Erit autem talis actus præcisivè tantum & se-  
cundùm quid, nimirum consideratus, ut pro-  
cedit ex motivo fidei, vel opinionis, inevidens,  
& non erit inevidens negativè, id est, actus, qui  
simpliciter caret evidentiâ, è contra erit sim-  
pliciter evidens; quia evidentem esse, est deno-  
minatio positiva, esse inevidentem, est denomi-  
natio negativa, adeoq; si simpliciter dicatur,  
negat omnem claritatem, si dicatur secundùm  
quid, tantum negat claritatem provenire ex isto  
motivo opinionis. Erit item hic actus formi-  
dolosus radicaliter secundùm quid tantum, si  
per actum formidolosum intelligas actum ca-  
rètem certitudine, erit simpliciter talis, si per  
formidolosum intelligas respectum ad ejusmo-  
di motivum, quod, si solum concurreret, re-  
funderet in illum formidinem radicalem; sic  
enim formidolositas est prædicatum posi-  
tivum: quare autem talis actus propter mo-  
tivum probabile non sit dicendus simpliciter  
inevidens, sicut conclusio secuta partem  
debi-

debi-



debiliorem, unâ præmissarum probabili, est simpliciter probabilis, hæc est ratio, quia hic actus dependet à duabus vel tribus connexionibus extremorum cum duobus, vel tribus mediis; conclusio autem dependet ab una connexionione mediæ cum extremis tantquam indivisibili motivo. Poterit quoque in hoc casu motivum inevidens producere actum certum & evidentem in sensu materiali, etsi hic ut evidens non procedat à tali motivo, sicut intellectus producit actum supernaturalem, sed non ut talem: dici quoque poterit in eodem sensu: opinio est certa &c. Indigebit item hic actus imperio voluntatis, in quantum est assensus ex pluribus motivis simul; imperare enim poterat intellectui, ut propter unum motivum tantum assentiatur. Habitus denique à tali actu generatus inclinabit ad similes actus mixtos: ad illum autem actum primò eliciendum concurrunt diversi habitus fidei, opinionis, scientiæ; ad eliciendum secundò habitus talis mixtus, à tali actu mixto generatus.

\* \* \*  
\* \*